



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Mosis verba in hanc sententiam exposita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

commemorat, situm fuisse putat  
in admirabili illa Dei providentia,  
qua Israelitas quadraginta annos per  
deserta inculta & horrida & om-  
nium egena duxit, ut nunquam  
tamen ipsis aut vestes aut calcei  
defecerint, aut materia defuerit,  
qua potuerint & vestiri & calcea-  
ri. Ut hæc verba nequaquam in-  
dicent vim incorruptam calceis in-  
ditam, aut una cum infantum &  
puerorum pedibus eos crevisse, sed  
nunquam defuisse vel calceos vel  
materiam unde calceamenta con-  
suerentur. Placebat mihi eotem-  
pore hæc opinio, nunc vero, ubi  
omnia perpendi paulo diligentius,  
plane in ea acquiesco, cum evi-  
denter possit demonstrari verba  
Mosis nihil aliud indicare, & often-  
di qua ratione de novis calceis  
iis prospexerit supremum Nu-  
men.

IX. Verba Mosis non esse in-  
telligenda quasi easdem semper ve-  
stes gestassent Judæi, & iisdem sem-  
per calceis usi fuissent qui vetusta-  
te non essent consumpti per qua-  
draginta annos, sed nihil ne in vesti-  
bus quidem & calceis per quadra-  
ginta

ginta annos ipsis defuisse, quia non sivit Deus ut indigerent alio vestimento & calceatu quod substituerent vetustate detrito, ostendere potest hic apud Jesaiam locus. Verba Prophetæ sunt, **אָלֶם צְמַאוּ כִּחְרֻבֹת הָלִיכָם** *Et non fitierunt cum ipsis per desertum duceret.* Situisse Judæos cum in deserto errarent quis nescit? Massa & Meriba & alia loca testimonium sunt evidentissimum. Vel ad ipsas gentes huius rei memoria dimanavit. Notissima est fabula Judæos asinum coluisse, quam tot prodiderunt scriptores veteres, quorum testimonia collegit vir summus Samuel Bochartus. Hujus vero cultus tam alieni nullam aliam causam adferunt, quam quod asinus monstraverit aquæ fontem. Ita expresse Tacitus. *Nihil æque (Iudeos in deserto) quam inopia aquæ fatigabat.* Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit. Sequutus Moses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. Et paulo post: *Effigiem animalis, quo monstrante,*

Bochart.  
Hier. p. 1.  
l. 2. c. 18.

Tac. Hist.  
lib. 5.